



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Basis vitæ spiritualis. Cap. LXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Basis vitae spiritualis.

CAPVT LXXII.

Boni ac resignati animi basis ac fundamentum est, confidere Deo, ac super eius bonitate niti, omnia de manu eius sola accipere, eademq; optima sibi esse ex diuina prouidentia intelligere: se ex toto relinquere & resignare Deo, nemini querulari nec ad consolationem aliquam quaerendam se conuertere, sed diuinum beneplacitum solum in se semper optare, suam nihilitatem inspicere, quocunq; bono atque terra ipsa, se indignum existimare, usque in finem quam diu placuerit Deo, quaecunq; accidunt sustinere & ad maiora sustinenda paratum esse, atque in omni pressura Deo gratias agere.

Viri cuiusdam deuoti contra vitia capitalia, sententia & decretum.

CAPVT. LXXIII.

Contra Superbiam.

Vbi cognoui Deū altissimū pro me extremē humiliatū, nunquam a deo me deprimere potuit homo, quin maiori me vilipensione dignum iudicauit.

Contra Auaritiam.

Vbi cognoui animam meam nulla re posse satiari, praeterquam solo Deo meo, miratus sum si aliud praeter ipsum quaerere debeam.

Contra Luxuriam.

Vbi cognoui corporis mei nobilitatem, & quod mihi conceditur purissimum corpus Christi sumere in os meum, dignum duxi omnibus viribus laborare pro perpetua cordis & corporis puritate.

Contra Iracundiam.

Nulla hominum infidelitas me perturbare potuit, dum perpenderem quam infidelis Deo meo fuerim ego.

Contra Gulam.

Vbi gustavi ecclestium ciborum dulcedinem, nulla terreni edulij me seducere potuit ingluuies.

Contra Inuidiam.

Vbi cognoui quod Deus me tantum peccatorem in gratiam receperit, non potui aliquem hominem odisse propter ipsius iniquitatem.

Contra Acediam.

Vbi perpensi quod post breuissimum laborem, aeterna conquiritur beatitudo, nimis exiguum arbitratus sum quemcumque ego toleraui laborem.

Contra omnia vitia.

Cum Dominicae passionis & mortis amaritudinem ad memoriam reuocarem, nihil adeo est asperum, quod non aequanimiter portem.

Enchiridij militiae Christianae

FINIS.

Bbb 3

LECTO